

Quicquid extra additur, non nisi accessorium est & accidentale. Alii suum cujusque Nihil dicunt esse Centrum animæ; & ab hac quidem centrali substantia quamvis religionem judicant esse distitam, longeque alienissimam. CEREBRINUM esse vociferantur omnium eorum institutum, qui religionis & confessionis externæ rationem habeant, animasque ad Symbola Librosve Symbolicos astringant; quandoquidem externa verbi prædicatio & Sacramentorum administratio vix paterarum inanium nomine debeant venire, & ad Theosophiam cordis nihil conducant. Sic ergo cor a mediis salutis abstrahitur, & ejusdem centrum extra isthæc media anquiritur. Quin CHAOS nonnulli vocant ipsum DEUM, ex quo creaturæ omnes progenitæ fuerint, essentialia ejusdem *ἀποσπασμάτια*. CHRISTUS IN NOBIS Anti-Biblicus articulum principalem in hac falsi nominis falsæque religionis devotione subministrat. Hunc alii cum Postello dicunt naturam, ante omnia æternæ naturæ unitam, ab initio creatam, quæ necessario pars sit humanæ naturæ superior; alii Medicinam cœlestem, ex semet ipsa per effluvium divinæ virtutis ejus sine mediis percipiendam; alii blaspheme speculum peccati, quod fecerit, appellitant. COELOS ANIMÆ TRES excogitant, imaginale, rationale & intellectuale, hujusmodi affaniis mire sibi placentes, Theosophiæ universalis cultores. COLLECTIONEM, h. e. ingressum ad interiora, vocant, ubi eremum seu solitudinem suam colant. Neque enim aliquid agendum rentur in hoc secessu Mystico, sed ab omnibus etiam bonis operibus, cum externis, tum internis, abstinendum. Suspices cœli æmulantur veteres, arbitrati, desideria omnia activa esse argumentum imperfectionis, & indicare illud, quod anima nostra nondum plane & plene sit evacuata. Quorsum pertinet COLLIQVATIO cum Deo, viæ unitivæ gradus; COLLOQUIUM cum Deo, non Davidis certe, nec Chrysoptomi æmulum; verum Dionysiastræ Arcopagitæ: CONCREMATIO in amore Dei; quæ est non Paulina, sed Quakeriana: CONFORMITAS cum Deo; quæ est non Petrina, sed Dionysiana: CONJUGIUM cum Deo, idque non Salomoneum, neque Esaianum cum Chebzibah cœlesti,

lesti,